

illos qui forsā ad nova bella et tumultus concitandis animum et voluntatem adicerent et tentarent prospicere. Et licet, Dei voluntate et beneficio federe, antea initorum inter caetera tractatus madriensis, barehinonensis et cambracensis inter Sanctissimum Dominum nostrum, Maiestatem Caesaream et Serenissimos Reges Franciae Christianissimum et Angliae fidei defensorem ac novissime cum illustrissimo Duce et excellentissimo Dominio Veneto ac illustrissimo Francisco Sfortia Duce Mediolani, ipsa Italia primum pacata et a bellorum terroribus liberata sit, et deinde predicta foedera et tractatus insequendo in hac civitate die 23 mensis decembris anno 1529, et unio et confederatio defensiva pro Italiae commodo, inter ipsam Beatitudinem Summi Pontificis et Caesaream Maiestatem, ac illustrissimum et excellentissimum Dominium Venetum, nec non Ducem Mediolani inita et conclusa sit; in qua complures principes, potentatus et Reipublicae ipsius Italiae nominati et comprehensi fuerunt, reservata facultate alios etiam nominandis. Quia tamen predicti confederati et comprehensi, neque litteras suas dederint quibus huiusmodi compensionem a se acceptatam declararent, neque aliorum nominatio facta, neque de contributione et convenienti provisione pro dicta defensione et pro modo et portione comprehensorum nominatorum in dicta confederatione tractatum et conventum est, neque *etiam* res huiusmodi defensionem concernentes, tam exacte et sufficienter expressae et declaratae fuerunt, prout negotii exigentia et qualitas requirit, et praecipue habito respectu quod necessitas dictae defensionis tangit omnes principes, potentatus et respublicas Italiae, et ex illorum re et usu est, et si aliorunde contigerit sicuti per plures regiones tractus et loca tentari posset, sive mari, sive terra, causa invadendi in multis partibus, sive contra terras ecclesiae ac portus coniunctos, sive aliis in locis et tam occasione errorum praesentium et tumultuum qui eius occasione excitari possent, quam etiam ab hostibus fidei nostrae sive a pyratibus et excurentibus mare et alios, sicut satis intelligi potuit; et praesentim ex his quae praedictam ligam secuta sunt et maxime per horrendos belli apparatus et classes anni proximi preteriti. Qua propter idem Sanctissimus Dominus noster et Caesarea Maiestas hic rursum ut prefertur, convenientes pro publico totius Reipublicae christiane bono et ad deliberandum et prospiciendum rebus illam concernentibus, considerantes quam sit e re futurum ut huiusmodi defensione Italiae plenius provideatur et exprimat super eadem extendenda

et stabilienda tractaverunt et concluderunt infra scriptos articulos inter ipsos ac illustrissimum Ducem Mediolani, Ducem Ferrariae et Mantuae, Respublicas Senensem et Lucensem et alios principes et potentatus infra nominandos, videlicet Sanctitatem Summi Pontificis, nomine et causa terrarum Ecclesiae in Italia existentium et quantum ad illas tamquam Italiae et huius confederationis membra attinet, Caesaream Maiestatem uti regem Neapolis, *item*, Duces Mediolani, Ferrariae, Mantuae, Respublicas Senensem et Lucensem per eorum procuratores hic infra nominatos et in vim mandatorum eiusdem concessarum, quorum tenores in fine predictorum tractatum inserti sunt, videlicet: *Item*, Sanctissimus Dominus Noster, Caesarea Maiestas et Dux Mediolani personaliter contrahentes, Dux vero Ferrariae per magnificos dominos Jacobum Alvarotum patavinum et Mattheum Casellam faventinum iuris utriusque doctores suos oratores et procuratores et Dux Mantuae per illustrem dominum Ferdinandum Gonzagam eius fratrem et procuratorem, Respublica Senensis per reverendum et magnificos dominos Franciscum Bandinum electum senensem Johanem Palmerium, Orlandum Maleschoto, Bernardinum Boninsignum et Carolum de Pinis oratores et procuratores suos, Respublica Lucensis per magnificos dominos Caesarem de Nobilibus et Mattheum Gilium oratores et procuratores suos. Et quantum attinet ad Ducem et Rempublicam Januensem cum illius oratores non habeant mandatum sufficiens et speciale ad huiusmodi foedus laudandum, praefata Caesarea Maiestas ipsius Ducis et Reipublicae nomine tractat et contrahet et eos hic comprehendit consentientibus aliis confederatis et eiusdem Ducis et reipublicae nomine. Repromittit Sua Maiestas satisfacere omnibus quae in hac confederatione continentur, ita tamen, quod infra duos menses proxime futuros idem Dux et Respublica praesentem comprehensionem ratificabit, et litteras desuper in forma autentica tradet ad manus Capitanei generalis huius ligae, quibus ligae praesentis et omnium contentorum in ea et ipsius Ducis et Reipublicae sufficiens obligatio erit.

Primo. Tractatum et conventum est inter contrahentes praefatos et eorum quemlibet pro se, nominibus et qualitatibus antedictis, quod prenarratum foedus defensivum inter eosdem Sanctissimum Dominum Nostrum, Caesaream Maiestatem, Ducem et Dominium Venetiarum et Ducem Mediolani, die 23 decembris praefati anni 1529 factum et initum in suo robore et vigore permaneat, et secundum